

Minor patet indè: Nam primùm *Evangelista* in descriptione primæ partis huius Sacramenti, nempe Corporis Christi cum pane verè presentis & manducandi, ad amussim omnes concordant: dicentes: *Accipite, comedite: Hoc est corpus meum, Matth. 26, 26. Marc. 14, 22. Adijcit Lucas: Quod pro vobis traditur. Luc. 22, 19.*

33. Quoad posteriorem partem, nempe descriptionem Calicis: et si in verbis *Evangelistarum* aliqua sese offert diversitas: tantùm tamen abest, ut ea propriam verborum significationem tollat; ut potius illam apertissimè explicet & confirmet.

34. Nam ubi *Matthæus cap. 26, 28. & Marcus, cap. 14, 24. habent: Hic est sanguis meus, qui est Novi Testamenti: ibi Lucas cap. 22, 20. mutato nonnihil verborum ordine inquit: Hoc poculum est Novum Testamentum in meo sanguine.*

35. Iam verò cum utrisque phrasibus unam eandemque sententiam reddi oporteat: nisi fortè *Evangelistas*, imò *Servatorem ipsum*, turpè alicujus ἀνολογίας insimulare quis velit: illud probè attendendum, quomodo *Spiritus sanctus* has ipsas *Evangelistarum* phrasas ita sit moderatus, ut nullo artificio, quàm in propria, nativâ & literalì significatione accipi possint & debeant.

Si quis